



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

caput decimum secundum. De forma Religionis ac Caeremoniis quibus  
Lutherani in Germania passim utuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

omnibus inferorum artibus. Illi tamen locum suum non deferuerunt, sed pedem pedi opponentes exitum hæresi, quod sibi moliri non desistit, odies machinatur (d). Hæc de ea vrbe dicenda duxi, vt intelligatur Catholicos in Germania tota, non accipere ab Hæreticis Leges, vt quidam exteri opinantur, sed ipsos quoque in certis territorijs sceptum, imo supremam Maiestatem obtinere. Ex quo summa eiusmodi hominum patet imprudentia, qui dum Ecclesijs suis pacem & libertatem quærunt, bellum sibi, turbas & confusionem pepererunt. Miseri homines! qui continuo velut in armis sunt, iam alios eijciunt, iam ipsi eijciuntur, iam hoc, iam illud credunt, prout feliciter domino ipsorum visum fuerit, aut nouitius aliquis apostolus nouam ipsis fidem annunciarit. Bis, inquam, miser! qui in eo quod maxime firmum ac stabile esse debet, nullam stabilitatem habent. Interim vero qui veterem Lutheri religionem sequantur (neque enim ille nouos Lutheranos, neque Confessionistas, neque Interimistas vidit) non doctrina tantum, verum etiam ceremonijs immane quantum discrepant! de quibus sequenti capite dicemus.

## DE FORMA RELIGIONIS AC Ceremonijs, quibus Lutherani in Germania passim vtuntur.

### CAPVT XII.

#### ARGVMENTVM.

- I. *Transitus ad diuersas Lutheranorum ceremonias, à Magistratibus, vt Pontificibus inductas.*
- II. *Lutherus complures Catholica Ecclesia ceremonias retinuit intactas.*
- III. *Lutheranorum Mollium, siue Interimistarum templa eandem fore speciem & apparatus habent, quem Catholicorum, vnde subtilius salunt.*
- IV. *Apud Lutheranos Episcoporum & sacerdotum nomina mutata.*

- V. *Interimista quibus ritibus Missam celebrant, quos omittant male.*
- VI. *Lutheranorum quidam sacra hostia elevationem admittere viderunt.*
- VII. *Eodem vere vestitu & ornatu Missam celebrant, Interimista quo Catholici.*
- VIII. *Quomodo Cœnam distribuunt.*
- IX. *Forma Missæ ab Augustana Confessione addita celebratur.*
- X. *Modus Communicandi & Confitendi apud eosdem.*
- XI. *Elegans ceremonia in oppido quodam Marchionatus Brandenburgici præsentis Galliarum regis Legato, usurpata.*
- XII. *Lutherani quot dies festos, veteres Baptismi & Matrimonij ceremonias obseruant, & à cibis prohibitis abstineant.*
- XIII. *De communi templorum vbi Lutherani rerum potiuntur vsu.*
- XIV. *Lutherani Ministri, quos Prædicantem & Helffer appellant, vestitu à laicis diuerso vtuntur, & profanum Calvinistarum habitum damnant.*

I. **E**Go si hæresin omnibus suis cum lineamentis & coloribus depingere, omnesque furias, quibus illa inter tam varios opinionum fluctus agitata, & in diuersas partes distracta fuit, representare velim, Deus bone, quam inextricabilem Labyrinthum sim ingressurus! Equidem centum mille speluncarum, tamque difformes inter se formas, quam nubium in aëre volitant, exprimendas mihi videam, si hoc labore defungi velim. Vnde enim, quæso, initium faciam, tam diuersarum sectarum, quæ in Morauia, Transyluania, Valachia, Polonia & Belgio imo Germania ipsa, hæresum matrice vermiculantur, & quæ II. libro à nobis partim (omnes enim impossibile est) indicatæ ac descriptæ sunt, synagogas repræsentaturus? Quare satis mihi erit, earum omnium matrem hoc loco velut in tabula depictam exhibere, atque inspicendam proponere eam, inquam, quæ Lutheranæ dicitur: qua quidem appellatione tantum abest vt illi hæctenus offendantur (vt Calvinistæ in Francia & alibi, Calvinistæ audire nolunt) vt etiam ea glorientur imo dolose

H 2

passim

à Anna Soc. Iesu Anno 1600.

pafsim sub nomine Evangelicorum, Augustanæ Confessionis & c. latere gaudeant. Sed cui potius festam hanc similem dicemus quam tricipiti cuidam & centimano monstro? In qua describenda operæ precium facturus mihi videor, quod à nemine, quod quidem ego sciam, ordo, ritus, & cæremoniæ, à Luthero eiusque successoribus in ipsorum Ecclesijs sancitæ, litteris consignatæ existant, sic ut neque nobis Gallis Lutheranorum in Germania, neque Germanis Calvinistarum viuendi ac sacra celebrandi modus cognitus sit & exploratus. Calvinistæ quidem, multo illis astutiores, omnibus viribus persuadere nobis conantur, se à Lutheranis pro fratribus haberi, eundem esse cærum & eandem Ecclesiam quamuis constet, inter Catholicos & Lutheranos aliquas esse inducias, & aliquem consensum vel tolerantiam; inter Lutheranos vero & Calvinistas bellum esse. *ἄστρον*, sic ut frigus cum calore, & tenebræ cum luce facilius conciliari possint, quam Lutherani cum Calvinianis. Ordo vero, vel confusio, potius Nouæ huius religionis, quæ nondum vnum integrum vidit sæculum, & factorum forma in libris pafsim editis, ut Statutis ecclesiasticis Marchionis Brandeburgici, anno M D XXXIIII, Mauritij Saxonie Ducis anno M D XLIV, Wolfgangi Comitis Palatini anno M D LVII, & postea anno M D LIX, regis, Christophori Ducis VVirttembergici anno M D LXX, Reformatione religionis per Ioannem Gulielmum Ducem Saxonie Ienæ anno M D LXXI, facta in qua ille quasi, nonus Pontifex, ait, *Se ex potestate clauium à Deo sibi traditarum, statuere, &c.* item in Visitationibus Saxonie, sub titulo, *Verordnung* & c. anno M. D. LXXXV, & LXXVII, institutis atque editis; nec non Ludouici Ducis Wirtembergici anno M. D. LXXXVIIII, Tubingæ, & alijs alibi excusis, descripta exstat. Vt de liberis Imperij ciuitatibus nihil dicam, quæ singulæ quoque fere propriam religionis, formam sibi conseruauerunt.

II. Sed videamus quibus factorum ritibus ac cæremonijs Lutherus primitiuam suam ecclesiam instruxerit atque exornarit, ut diuersitas illa tanto magis appareat. Is non ignarus, religionem sine cæremonijs diu consistere non posse, multas res ac cæremontias ex antiqua illa Catholica ecclesia in suam transtulit, quæ adhuc in eius, quod etiamnum in Germania superest, ecclesiæ simulachro vsurpantur. Idem ad Franciscum Galliarum

regem scribens, ait: *quandoquidem Mundus cæremonijs carere non possit, nequaquam id se velle, ut veteribus abolitis, noua introducantur.* Nouerat quippe bonus hic Macchiavellista, ei qui statum aliquem reipublicæ mutare, & nouam stabilite velit, quandam antiquæ faciem retinendam esse, quo populo persuadatur, integra adhuc esse omnia, & in mutatione illa parum aut nihil esse momenti. Et templa quidem, quæ in Germania plurima sunt & sumtuosa, initio integra & inuolata manserunt, etiam monasteria, medijs in syluis ac solitarijs locis posita, sic, ut nihil deiectum aut fractum fuerit, præter diuorum statuas, & ijs tantum in locis vbi Carolstadiani grassati sunt, aut Calvinistæ in Palatinatu: quam regionem solam illi antehæc tempora suæ ditionis fecerunt. Hinc si quis Catholicus in Lutheranorum templum ingrediatur, facile fiet, ut existimet se in Catholicorum esse templo, quum maior hominum partem ex specie externa potius quam interna atque ex ipsa veritate diiudicet.

III. Videbit ibi, si Mollitum de genere fuerint, uti in Dania & Sæcica, & aliquot Germaniæ locis *chorum à reliqua templi structura seu nauis separatum*, Occurrent ibi non minus quam apud Catholicos, *summum altare, cum apposita Crucifixi imagine, duodecim Apostolorum statuas, diuersa sacella seu oratoria, baptisteria, & in plerisque organa Musica, cerei & lampades ardentis, aliaque ornamenta ecclesiastica: quæ omnia expressas maiorum religionis notas præ se ferunt.* In compitis etiam Crucifixi imagines adhuc à Lutheranis reuerenter habentur, ut & sacra in campis adicula, quas etiam ingrediuntur, & ante aram genibus innixi preces suas fundunt. Sacella etiam diligenter sartatecta conseruant. Numquam vero templa (ecclesias enim dicere iam mihi religio est) ingrediuntur, quin, ut dixi, in genua prouoluantur, conuersa ad summum altare facie, eisdem fere quibus Catholici ritibus & externa deuotione. Id enim Caroli V. Interemistica Religionis forma induxit, cui Rigidiōres sese vehementer opposuerunt, malentes exulare quam tales cæremontias pati.

IV. Quamuis autem Lutherani suos etiam veluti laruos Episcopos habeant & sacerdotes, qui ijsdem fere quibus Catholici ornamentis vtuntur: tamen quemadmodum Turcæ oppidis & locis à se occupatis alia nomina imponunt, quæ scilicet viatorias suas & imperij magnitudinem ad posterum testatam faciunt, & pristini status

eorum

eorum populorum quos perdomuerunt, suoque subijcerunt imperio, memoriam penitus aboleant; sic Lutherus quoque prisca illa sacrorum officiorum & dignitatum nomina nequaquam ferre potuit, sed noua, tamquam facinororum suorum contra Ecclesiam monumenta, induxit. *Episcopi enim loco, Superintendentem* (Græca voce in barbaram Latinam translata) instituit. Talium vero Superintendentium vnus plures sub se habet parochias, quælibet vero parochia suum parochum sine Curionem, quos Pfarherrn; & quilibet parochus suos diaconos, quos Helffer, id est, adiutores appellat. Superintendentens vero qui Episcopi est loco, aut reditus quosdam è bonis Ecclesiasticis, vel stipendium è publico ærario accipit, eiusque auctoritatem velut superioris & Episcopi agnoscunt ipso minores. Exempli gratia Argentorati, quæ ciuitas Lutheranam religionem sequitur, & maxime Franciæ nostræ vicina est, septem sunt Parochiæ, quibus singulis præfunt vnus Pfarerus siue Pastor, & terni Helfferi seu Diaconi. Ioannes vero Pappus Laicus sub nomine Superintendentis, Episcopi personam gerit. Episcopales vero reditus quidam è Brandeburgicorum familia, Administratoris titulo, sibi usurpauit: quod munus ille postea Ducis Wirtembergici filio eandem religionem proficenti consignauit. Eius vero Administrationis nemini quam sibi ipsi rationes reddebant. Quare eam ob causam bellum inter Lotharingæ Ducem & Electorem Brandeburgicum, Administratoris partem, exortum, tandem vero his conditionibus compositum fuit, vt reditus, non solum inter Episcopos, Catholicum vnum, alterum Lutheranum, verum etiam inter Capitulum & Ecclesiæ ministros diuisi sint, sic tamen vt duæ tertie ad verum & legitimum Episcopum redcant.

V. Quod vero antea dicebam Molliores Lutheranos & Interimistas habere cæremonias & templa valde affinia Catholicis ritibus, eo ipso alios Rigidiore alijs cæremonijs vt indicabam & idcirco esse non leuem diuersitatem, quæ vt tanto melius intelligatur, notandum est Lutheranorum duas esse sectas præcipuas, vt alias dixi. Vnã eorum qui Augustanam amplectuntur Confessionem à Melancthone Anno MDXXX. compositam, & Imperatori exhibitam, alteram eorum qui Interimistæ dicuntur, à Libro quodam

mula quædam religionis, quæ interim ab Anno MDXLV. dura decisis religionis controuersijs, certi quid à Concilio determinaretur, in magna Germaniæ parte, nempe in tota fere Saxonia, ac multis Imperij ciuitatibus in plaga Septentrionali positris, vt Hamburgi, Lubecæ, Lunæburgi, Magdeburgi, Halæ, Norimbergæ; nec non in Marchionatu Brandeburgensi & alijs in locis recepta fuit Liber, hic in Germania passim videtur, sub vernaculo titulo Kirchenordnung, id est, *Statuta rerum Ecclesiasticarum*, quod in eo quum alia, tum cæremoniæ in Ecclesijs ac præsertim in Missa ipsorum vsitate præscriptæ sint quæ quidem Missa etsi nouam habeat faciem, multa tamen ex antiqua illa retinet. Nam & in illa frequenter audias repeti *Kyrieelison, Alleluia, Dominus vobiscum*: & sacrum faciens Pfarerus (sic enim Pastores suos appellant) postquam ad altare accessit, *Confiteor* suum: aliasque preces recitat, consecrat etiam & communicat Catholicorum more, tum lingua vernacula conceptas multas precationes intermiscet, Euangelium etiam eadem lingua decantat. Lutherus quidem ipse in libro De captiuitate Babylonica ait, *Missam ab Euangelio non esse separandam, quum Missa Euangelij pars sit, vel summarium potius & compendium*. Et alibi sacretur, *maximam partem, idem Sacramentorum quam Missæ verba esse & promissiones ipsius Dei*. Quin etiam grauius conuincuntur Lutherani, iniuste sese accusari & calumniose, quod totam Missam aboleuerint, quum ea (sic enim Augustana loquitur Confessio) reuerenter apud se celebretur, omnibus fere consuetis cæremonijs obseruatis. Apud Lutheranos tamen nulla sic hostiæ eleuatio, vt qui credant corpus Christi nõ alio modo aut sine ibi esse, quã vt manducetur, non vero adoretur, nisi ab eo qui illud accipit. Quasi vero non verbũ Iesu Christi, sed sola acceptio seu manducatio, præsens eius corpus statuatur. Ergo Saluator non dicere debuit, *Hoc est corpus meum*, sed: *Hoc corpus meum erit si vos illud acceperitis*. Deliriũ hoc primus Lutherus delirauit, dicens, *Qui Sacramentum illud extra acceptionem seu manducationem adorauerit, idololatriam committere, quum illud ex rebus creatis seu elementis compositum sit; eoque manentibus speciebus, panem adorari: Christum autem verè & realiter in hoc Sacramento esse, vt animarum tantum nostrarum sit pastus ac cibus*. Sed facile hoc refutari potest. Quemadmodum enim humanitas, quam Christus ad nostri redem-

Prætionem assumit, ea adoratione quæ ipsi debetur, privari non potest nec debet, sic quoque Sacramentum hoc, in quo ille fete animabus nostris voluit communicare. Nemo ergo carnem hanc manducabit, nisi prius eam adoraverit. Non solum vero non peccamus ipsam adorando, verum etiam peccamus non adorando, ut Sanctus Augustinus dicit: (f) Aurea sunt B. Chrysostomi verba, quibus Christianorum animos ad Sacramentum hoc adorandum accendit, inquit (g) Magi infideles & barbari à longinquis locis venerunt ad Christi corpus in præsepi adorandū. Eorū nos qui fideles sumus, imitemur exemplū. Nihil illi viderunt præter pauperē casā stramine contectam, & præsepe: tu vero altare vides, sacerdotem, & Spiritum S. abundanter in hoc sacrificio effusum. Contremisce ergo, sollicitus ne parum ruerenter accedas tuamque pietatem offende, maiorem etiam quam reges illi barbari & infideles. Sed objicit Lutherus, Christi corpus suum in hoc Sacramento non iussisse adorari. Illa profecto argumentatio, quid ergo? Angeli non dicunt pastoribus ut Christum in præsepi adorent: ergo pastores eum adorantes, fuerunt idolatræ? Angelus Virginem adorare non iubet, ipsa nihilominus eum adorat. Ergo idololatriam commisit? Si Christi corpus in hoc Sacramento præsens est, certa inde & necessaria consequentia evincitur ibi adorandum quoque esse? atque uti id fieri possit, eleuandum & populo commonstrandum. Quamvis enim eius rei nullum præceptum exstet, tamen nihil quoque exstat quod id prohibentur. Sacrificium est, quo in altari offertur; eoque eleuandum ibi & adorandum, in eoque verus mos & ceremonia à Deo ipso præscripta sequenda est. Hinc quidem morem omnem Græci quam Latini Christiani ab antiquis vsque temporibus diligentissime obseruauerunt. Apud Græcos sacerdos post consecrationem, calicem & panem manibus eleuatum tenens in medium usque templi procedit; populus vero in terram prostratus, inclinato capite, adorat, diaconis inelamantibus ut reverentiam quam par est exhibeant. Græci enim in liturgiis suis numquam in genua procumbunt, nisi in festo S. Trinitatis, eoque die solum Missam genibus subnixi audiunt. (h) Alibi dum sit eleuatio, diaconus ita populum affatur. Ecce eum in quem creditis. In hac ego urbe sacris interfui, ab Episcopo Armenio & sacerdote quodam Abassino celebratis, qui eleuationem quoque & quidem non statim post consecrationem, sed ante ipsam communionem, vsur-

pabant. Breuiario ille utebatur Arabicis characteribus conscripto, at è famulo ipsius, qui Italicam linguam callebat, intellexi, quando inuis factum apud ipsos celebratur, tum quando sit eleuatio; sacerdotem populo dicere: Vos estis penitentes? Humiliate vestra capita & adorite corpus Domini & saluatoris nostri Iesu Christi. quod hic est, corpus, inquam, & sanguinem Dei nostri Emmanuelis. Tum populum vniuersum exclamare: Credo, credo, ex hoc nunc & semper. De eadem eleuatione loquitur S. Dionysius, (i) S. Basilus, (k) S. Ioannes Damascenus, (l) & omnes verusti scriptores, quorum omnium testimonia allegare superfluum videtur. Vnius tantum, nempe posterioris, dictum hoc loco addam, sic aientis: Quando panis Eucharistie in altum eleuatur, non tres dicimus, Sancti, aut tres, Domini, sed vnus Sanctus. Et hæc illa ipsa est eleuatio, quam, Hippolyto martyre teste, Antichristus totam abolebit.

VI Ex Lutheranis quidam, vtramque religionem conciliare inter se volentes, hoste æ eleuationem atque adorationem inter adia phora numerauerunt. Exstant acta vetustæ cuiusdam synodi (vetustum appello quod cum noua hac religione simul fere cœpit) in Noruegia celebratæ Anno M D XXXVI. in quibus sacerdos qui altari seruit, post consecrationem, si bonum ipsi videatur, hostiam decenter eleuare iubetur. Et in alia Synodo, in qua Georgius Maior præsidem egit, Anno M D XLIX. eleuatio hæc libero cuiusque permissa fuit arbitrio quam etiamnum quidam vsurpant. Hæc sententia fuit Pomerani & Camerarij, à Mauritio Saxonie Duce super hac re exquæ sita, nimirum ut parochus vel diaconus sacrum celebrans post Introitum flexis genibus Confiteor recitet; tum Kyrie eleison; inde Præfationem Latina lingua, tum Sanctus, Pater Noster, & Euangelium vernacula lingua subiungat, ac tandem hostiam eleuet. Eam tamen Lutherus prohibuit: Anno 1543. Cum eam ultra xx annos retinisset (m) abrogauit autem in Mauritij Laodgaurij gratiam, qui Lutheranos & Sacramentarios in vnum corpus coagenerare studebat. Hinc quoddam, apud Lutheranos quando Missa celebratur, nulla sit eleuatio, & siue ministro seu populo communicante, alij opero capite assident.

f in psal. 69. g Rom. 61. ad pop. & super 3 ad Eph & 17. ad Rom. h Vid. Lesard in Epist. hist. vni lib. 3. c. 53. i De eccles. hierar. cap. 3 k De Spir. S. ca. 35. l In epist. de Trinitate, in Vlcberg in Luther. cap. 31. num. 4.

dent vel assistunt: quasi nulla huic Sacramento, nisi ad manducationem, reuerentia debeat. Fuit illa eleuandæ hostiæ abolitio gradus insignis ad Zvinglianisimum, per quem Lutherus ipse viuent descendit, & suis exemplo præcuit. Vnde ingens irreuerentia subsecuta est, exemplo sit illud. In Aquitania nostra quidam fuit nobili ortus familia, qui quum Missæ interesse religioni non duceret, quemadmodum interfuit in exsequijs Riberacensis Vicecomitis, reliquorum more genibus innixus singulos actus frequentauit: sacerdotem vero hostiam eleuante, sine vilo reuerentiæ signo confedit, non sine magna assistentium admiratione, qui fatuam eiusmodi hypocritin numquam antea fortasse spectarant. Sic Angliæ regina Elisabetha, quum initio multos Catholicorum ritus obseruari iussisset, adeoque Catholicam se simularret, mox hac sanctæ hostiæ eleuatione prohibita, animum hæresi infectum prodidit, vt VI. libro dicemus. Iam Missam Lutheranam absoluumus.

VII. Qui eam celebrat, opomide linea & palla sacerdotali Catholicorum more amictus est. Adstant ei duo diaconi, quorum vnus Euangelium, alter Epistolam, alibi Latina, alibi vernacula lingua recitat. Ad consecrationem & alias ceremonias quod attinet, vulgari lingua eadem verba profert quæ Catholicis, hostiamque & calicem simili tenet modo; eodem fere ornatu conspicuum altare visitur, cereis vel lampadibus ardentibus utrinque ad cornua constitutis. Hoc quoque addendum existimo, vt Gallis nostris raborem incuriamus quod in omni Germania tam in Lutheranorum quam Catholicorum templis calices sæpe ex solido auro facti sunt, vel saltem argento coque affabre deaurata intus & foris nostris etiam maiores. Vile putatur ex argento non inaurato constantes habere. Omnes vero ad eiusmodi vasorum emtionem viritum contribuunt: à quibus Lutherani quidem sacrilegas hætenus abstinere manus; nequaquam vero Calvinistæ in Gallia, vel etiam Palatinatu, Friderico Electore rerum potente: quæ tamen sub Ludouico, populi liberalitate denovo magnis impensis comparata & in templa, etiam apud rusticanos illata sunt. Et certe illud preciosissimo sanguini Iesu Christi, apud nos ruripassim, contemptum aliquo modo affert, quod istanneis calicibus, & quidem talibus quales quisque domi suæ ad vsum vix ferret, infulus videtur Absolutis precibus, celebrans ad populum conuersus, salutari Crucis edito signo, adstantibus benedictionem im-

peritur, quam omnes flexis genibus & inclinati capitibus accipiunt. Talis vero Missa non nisi vna de die in quocumque templo celebratur; eandem vero reuertere, piaculum habetur, quod, vt ipsi dicunt, Deustories a nobis fatigari nolit; ijs similes, quos Augustinus suo tempore breues ait liturgias amasse (n).

VIII. Eucharistiam sumunt, ante altare ingenua Catholicorum more prooluuntur: cum concionator sine ministro quæ supra diximus ornamentis indutus, & ad presentes conuersus, post factam benedictionem seu consecrationem, hostiam eis in os immittit, vt in Saxonia, Prussia & alijs in locis fieri videmus (neque enim hostiam consecratam in manus dant communicaturis, vt Calvinistæ bucellam panis). Postea vero diaconus iisdem calicem vnà cum vino consecrato porrigit. Numquam vero apud Lutheranos Missa celebratur quæ populus non communit. Id enim nefas esse, Lutherus pertinacissime asserit, Missas privatas singulari libello de Missa angulari edito exsecratur. Sic enim eas appellat, licet male: quum omnis Missa etsi publico & cunctis conspicuo loco non fiat, publicum sit ministerium pro cunctis oblata hostia, vt in qua omnes Christiani si non sacramentaliter tamen communicantur participes facti meritorum Christi. In primitiua quidem Ecclesia mos fuit vt omnes fideles in Missa communicarent, qui vero communicare volebant, egrediebantur, vt S. Chrysoctomus in III. homelia super Epistola ad Ephesios, & in Expositione ordinis Romani notat: eademque Apostolica traditio etiamnum apud Armenios obseruari narratur, etsi Armenium illum Episcopum, cuius supra feci mentionem, quotidie Missam dixisse seu celebrasse, nemini tamen Eucharistiam dedisse notarim. Postquam vero ardor ille vehemens Christianæ deuotionis refrigerare cœpit, Ecclesia filios suos ad tam crebram tanti mysterij vsurpationem obligare noluit, ne forte indigne aliquando illud sumerent. Nihilo tamen minus qui Missæ assistunt, huius sacrificij fiunt participes. Hoc enim Sacramentum, vt D. Thomas testatur (o) prodest eis qui recipiunt, tamquam Sacramentum, & eis qui assistunt tamquam sacrificium, in quantum scilicet pro ipsorum salute offeruntur. Et nostri Theologi dicunt, duplicem in sacrificio Missa esse Communionem, vnâ Sacramentum

mentalem, alteram Spiritualem: sicut & ipsa & Sacramentum est & Sacrificium. Lutherus ait, male facere eos qui sine populo communicant Missam celebrant. Ergo, mi Lutheri, & S. Ambrosius & S. Chrysostomus male fecerunt. Uterque enim saepius Missam celebravit, nemine communicandi gratia ad altare accedente: de qua populi repiditate graviter illi conqueruntur. Ipse saluator noster S. Jacobo soli Eucharistiam dedisse narratur. Serapion solus communicavit; uti etiam sacerdos ille S. Augustini, Missam in domo ab immundis spiritibus infesta celebrans. (p) Sic etiam apud Gregorium Nazianzenum solus quidam communicasse legitur. (q) Quocirca ad sacerdotem sacrificantem accipere illud pertinet, qui neminem ibi se sistentem excludit. Sed ad Interimistarum ceremonias redeo, qui vespertinas preces alterno cantu, uti ex Gregorij Magni praescripto in Catholica Ecclesia fieri solet, celebrant ac decantant. Et hi quidem ritus sunt ceremoniarum, apud Interimistas, quorum magnus est in Germania numerus, usitatae. Videamus iam eorum sacra qui Augustani seu Confessionistae dicuntur, ab Augustana Confessione, quae meliori iure à nonnullis Augustana Confusio appellatur.

IX. Hi vero per plerasque Imperij urbes sparsi sunt, quales sunt Augusta Vindelicorum, Ulma, Dinckelspula, Norlinga, Biberacum, Hailbrunna, & aliae, in Suevia sitae; ad Rhenum vero Colmaria, Argentoratum, Haganoa, VVissenburgum, Lindavia, Spira VVormatia, Oppenhæmum, Francofurtum. Inter Principes vero etiam complures sunt qui Augustanam religionem ita amplectuntur, ut nullam aliam religionem in ditione sua permittunt, iuramento sese adstrinxerint; ut Dux VVirtembergicus, Landgravius Hassiae, Marchio Brandenburgicus, multique alij Comites & Barones quamquam, ut verum fatear, eadem libertate qua haec assumpserunt religionem in dies dimittere, possunt, & forte dimissuri. Apud hos vero Missa illa Lutherana nunquam iisdem quibus apud Interimistas ritibus & ceremonijs celebratur. Templum tamen habent eodem ornatu ac similibus veteris Christiani innotis insignia utpote erepta Catholicis. Certis horis parochus aut diaconus, candido amiculo indutus, suggestum ascendit, & orationem ad populum habet, qua finita, ante altare provolutus, primum tacitus, deinde ad populum conversus, alta voce precatur, Missam celebrantium more, nisi quod ea ceremonia quae apud Interimistas, non adhibeantur. Sed nec eadem hic ornamenta seu vestes Sa-

cerdotales in usu sunt: nec diaconus, sed ipse celebrans tam epistolam quam Evangelium legere solet.

X. Finitis hisce precibus, idem minister Coena institutionem lingua vernacula recitat, deinde hostias consecrat. Postea communicaturi ad altare accedunt: cui assistans Superintendens vel parochus, patena aurata hostias quasdam exiguas imponit sacroque Crucis signo, unam singulis communicantibus in os immittit, hisce verbis Accipe & manduca, hoc est verum Corpus Jesu Christi quod pro te oblatum est. Ex altera parte Diaconus communicantibus calicem porrigit dicens: Accipe & bibe; hic est verus Sanguis Jesu Christi, qui pro te effusus est. Porro tam ante quam post communionem singuli Catholicorum more pro se qui que precantur, contra quam faciunt Calvinista, qui non nisi per os ministrorum Deum precari audent, ut libro VIII, explicabo. Actione hac absoluta, & accepta benedictione, unusquisque in locum suum recedit. Ante dies festos & solemnibus concionator populum ut peccata confiteantur, & ad sacra corporis Christi communionem diligenter se preparent, exhortatur: ex praescripto Lutheri in libro, de Visitatione, & Melancthonis in tractatu De Poenitentia, & in Locis communibus, ubi antiquam hanc & salutarem Ecclesiae consuetudinem accurate observandam esse monet. Calvinianorum quidem, temere nulla praevia peccatorum confessione, ad Coenam acceduntur, consuetudinem summo opere ipsi detestantur. Sed quid hoc mirum in Calvinistis? qui dicere non dubitant, Christi corpus tam longe à Coena, quam caelum à terra abesse, & tam esse illud manducare, quod est omnium miraculorum maximum. Ad Lutheranos redeamus: apud quos pridie eius diei quo Coena celebranda est, a portis templi ostijs communicaturi ministros ibi praestolantes accedunt, & peccata confitentur. Laicus Laico in rebus sacris diabolus tamquam Dei simia ludit. Si qui in fide instrui debeant, terni aut quaterni se sistunt. At si quis secretum quid habet, unde conscientia moyses sentiat, seorsum illud ministro aperit, & veniam à Deo precatur; Minister vero illum consolatur ex verbo Dei, seu annuntiat Evangelium, & sic virtute verbi annuntiat, vel si placet alijs verbis adiectis, absolvitur, quilibet enim predicandi est sibi regula agendi. Multis loci poenitentes seu confitentes in genua procumbunt: nonnullis vero novi coniuges prius non copulantur quam peccata confessi, sacram acciperint communionem. Ad agrotos etiam, sacramentum hoc desiderantes, parochus seu minister accersitur, hostiam non

p De civ. Dei. q Homel. 61. ad pop. Antio. & sup. 3. ad Eph.

non consecratam apportans. Cubiculum ingressus, ceteris omnibus sedere iussis, solus agrum exhortatur, ut conscientiam suam exoneret, & si quidem mordeat, consecratur. Quo facto, absolvitur ille, signo Crucis capiti ipsius impresso. Qua de re Lutherus in Sermone de Preparatione sic loquitur. Volo, ut homo in extremo agone constitutus, dicat: Si sacerdos vel minister me absolvat, equidem verbo ipsius non aliter quam Dei Verbo me submitto. Tam enim firmam sacerdotis absolutioni fidem habere debes, ac si Deus ipse iudicem aut Apostolum eius rei causa ad te misisset, immo ac si Deus ipse peccata tibi remitteret. Data absolutione, mensa sternitur, eique calix & patena imponuntur. Tum parochus verbis institutionis non aliter quam in templo recitatis, panem & vinum consecrat. Insuper assistentes rursus ingressi, in genua prostrantur. Tandem parochus ad aegroti lectum accedit, eique hostiam & vinum porrigit, verba illa solennia pronuncians. Crucis signum edens. At non omnium locorum idem mos est, Lutheri aedibus, sed quot pagi & quot Ministrorum capita, tot ritus. Verum enimvero summa illa credendi quod quisque vult licentia, in causa est ut apud Lutheranos nonnullos panis hic consecratus minus reverenter habeatur. F. Nasus Centurarius II. faceret historiam recitat, Prædicantem nempe quendam prope Argentoratam, è Bucerii secta ac disciplina, quum ad ægrotum accessisset esset, negotijs impeditum, filium suum misisse, qui facta consecratione, his verbis Sacramentum ægro porrexerit. *Trinck vnd tzi Gottes nicht vergiff!* id est, *Bibe homo & manduca, mente à Deo non caduca.* imo vero repertus est, qui cum hominem peste laborantem propius accedere horreret, venabulo affixum panem per fenestram ægroti porrexit. Alij vero Prædicantium, ut Albertus scribit, consecrationem his verbis faciunt: *Accipite & manducate, & memoriam Domini usurpare.* Alij nihil aliud, quam Dominicam recitant orationem. Alius quidam Prædicans, ut Aurifaber folio XLVI. testatur, calicem oblitus, nec vitrum quo uteretur reperiens, cochleari culinario vinum infusum ægroti dedit, his verbis: *Accipe & bibe cochlear novi Testamenti, in remissionem peccatorum.* Lutherus id quosdam narrantes audiens, cum risu dixisset: *Ego si consul Norimbergensis essem (in horum enim territorio id factum fuerat) hominem istum in carcerem statim iubeam recondi, quod tali cochleari eiusmodi thaca quam optime conveniat.* Hostias vero consecratas non asseruant, quod Lutherus, quamvis tota repugnante antiquitate, extra communionem corpus Christi ibi esse neget. Audia-

mus unum Cyrillum qui Ephesino interfuit Concilio, dicentem; *Esse quosdam qui existunt mysticam illam benedictionem (de Eucharistia loquitur) inutilem esse, si quid mane super sit. Graviter vero eisdem errare, Iesum Christum enim non esse alium, nec corpus ipsius mutari, sed virtutem benedictionis & gratiam vivificantem semper in eo manere. Virtutem enim vivificantem Dei Patris esse Verbum unigenitum, quod caro factum sit, nec tamen unquam Verbum esse desierit, sed carnem suam vivificantem reddiderit.* Ad Lutheranos iterum iterumque revertamur: qui in locis quibusdam Vespertinas preces decantant, sicut Interimistæ, etiam in Ducatu Wirtembergico, ac præsertim diebus Sabbathi. In vicinis Musæis organis utuntur, alternatis cum cantu vicibus. Pueros quoque habent sacris eiusmodi, ac porrifimum cantu feruientes, quos Chorales vocant. Diuersis vicibus de die, mane scilicet, meridie & vespere, eodem quo ante schismate modo campana signum editur, olim ab Ecclesia ad honorem Deiparæ Virginis institutum. Sed magna passim tam in hac quam alijs rebus est diuersitas, uti apud Rescium ista enarrantem videre est. Air enim, *Missam quibusdam locis apud Lutheranos totam, alijs dimidiatam Latina lingua celebrari. Alibi cantores certos esse ad hoc in choro ecclesie constitutos, alibi omnes promiscue cantare. Quibusdam loca pueros, & quandoque etiam feminas scripturam sacram de pulpito pralegere. Alios habitu ecclesiastico, alios populari uti. Alij hostiam eleuant (ut Clebitius contra Heshusium scribens testatur) alij consuetudinem hanc repudiarunt. Alia sermo sacrorum est Viteberge, alia Norimberga: alia in Marchionatu Brandenburgico, alia in Ducatu Wirtembergico: alia Cracovia, alia Vilna, Lublini, Poesnania, &c. quare? quoniam omnia hæc sunt humani capitis inuenta, substituta in locum eorum quæ Apostoli, & eorum successores Ecclesiam docuerunt. Hoc loco facere non possum, quin elegantem valde ceremoniam, quam à nobili Gallo qui præfens ista vidit atque audiuit, accepi in Lutheranorum sacris usurpata, describam.*

XI. Anno M.D.LXV. quum Carolus IX. rex Franciæ Baionæ esset ut sororem suam Hispaniæ reginam inuiferet, venit eodem Turcius Legatus, ducenta scutorum millia, quæ pecuniosus ille Iudæus Mignes regiis oratoribus & ministris Constantinopoli agentibus mutuo dederat, repetiturus. Hac arrepta occasione, Nouatores nostri Reformantes & Reformati Regem nostrum calum-



calumniati sunt, quasi is Turcis in portum Tolomiensem classem subducendi, ad bellum inde Christianis inferendum, potestatem fecisset. Hoc passim rumore divulgato, Rex ut suspicionem hanc à se amoliretur, Lansacum iuniorum in Germaniam ablegavit, cum mandatis, ut Principes omnes, Episcopos & dominos cuiuscumque religionis conveniret, & hanc ab inimicis in se confictam calumniam, ad conflandum ipsi odium, esse doceret. Post varias obitas ejus Nationis regiones, Lansacus tandem Berlinum venit, ubi Brandeburgici Electores (Joachimus tunc erat) domicilium ut plurimum habent. Ibi quum esset, eum sua ipsius curiositate incensus, tum à Joachimo Marchione rogatus, templum intravit, ut ceremonias ac formam sacrorum ibi usitatam videret. Preces vesperinas decantabant eius templi Canonici, superpelliceo & candida tunica nostra nostrorum more amicti (est enim diabolus Dei simia) vernacula tamen lingua pleraque peragebantur, nisi quod Hymni quidam Latina lingua intermiscerentur. Sed nihil mirabilius Legato nostro accidit, quam quod sub finem cuiusque Psalmi loco clausula illius apud Catholicos usitata, Gloria Patri & Filio, horribilis scloporum, quos aulici ac satellites Principis tam manibus quam cingulis appensos gestabant, ac contra templi fornacem exonerabant, strepitus audiretur, sic ut tota ades ardere videretur. Quem quidem illi ludum aliquot vicibus repetebant. Quid tibi, Lector, de eiusmodi sacris & Dei cultu videtur? Numquid Scythas illos tonanti lous obstreperes audire tibi videris? Interim tympana quoque & tarantara non aliter quam olim in sacris Berecynthia matris ita resonabant, ut in castris potius aut media armorum turma quam in Christiana Ecclesia esse quis sibi videretur. In quo paganorum illi superstitionem imitati mihi videntur, solis lunæque labores siue defectiones lituorum ac turbarum clangore tympanorumque strepitu iuvare conantium, ut Livius & Tacitus scribunt. Equidem puto ceremoniam hanc magis Legati nostri honorandi causa tum adhibitam, quam quod ipsorum consuetudo in sacris celebrandis ita ferat. neque enim credibile est usque adeo illos insanire, ut religionis ergo Martios eiusmodi & profanos actus usurpent & templum nitri & sulphuris fætere pro thure impleant. Quidquid sit, inferni potius quam paradisi illam re-

presentationem fuisse; quilibet facile cogitare potest.

XII. Omnes Lutherani in Germania, tam Confessionistæ quam Interimistæ, dies festos aliquos observant. Sic enim docet ipsorum Apollolus Lutherus, *quatenus à Deo nobis mandatum non sit, ut die Sabbathi nullum omnino opus, sicut Judæi, faciamus: certos tamen dies festos & solennes observandos esse, quibus populus ad audiendum Verbum Dei ac preces conveniat.* Idem Proteo mirabilior, in libro quem scripsit ad Nobilitatem Germaniæ, suadet *ut omnes dies festi abrogentur.* Nihilominus tamen etiamnum apud Lutheranos complures dies festi celebrantur, sed magna inconstantia, alij eos, quos ipse sacer. literis erunt, alij hos, qui à Luthero tamquam summo Pontifice sunt designati. Iidem serias quartam & quintam sacra hebdomada ieiunio, confessione & communione celebrant. Dies festos S. Virginis, Apostolorum & Martyrum quorundam, Catholicorum more observant: alij aliquos eorum expungunt. Sed in his ipsis vetus, ut vocant, Calendarium sequuntur. Ex quo sæpe fit, ut Lutherani apertistabernis opus facientibus, Catholici feriantur; & vicissim illi præsertim Augustæ, Spira, VVormatiæ, Francofurti, Ratisbonæ &c. Contumaciam quidem in hoc suam ipsi fatentur, adeo ut ex ijs quidam scripserit, *Quum tam Astrologorum quam Chemnitij iudicio Calendarium necessario corrigendum sit, idque cælum clare edoceat, non immerito pro contumacibus haberi, qui quod verum esse agnoscent non tamen sequuntur, sicque hac re ab omnibus Mundi nationibus separari se quodammodo patiuntur.* Sed cur obsecro ita? quia inquit, Papa Romanus Novum vetusto Calendario substituit, à quo ne quidem bonam rem recipere sibi fas esse arbitrantur: adeo religiosæ sunt mentis. Miror quod non ipsum Cælum, quo Papa regitur amoveant, utpote nihil cum eo commune volentes.

Ad baptismi ceremonias quod attinet, apud eosdem baptisteria qua ab antiquissimis usque temporibus, etiamnum in usu sunt, ad quæ infantes baptizandi apportantur. Tum Minister Baptismi recitata institutione, baptismum à peccato originali absolvit, adhibito exorcismo, & S. Crucis caractere ter impresso; sic ut eorundem in hac sacra actione ritus à Catholica Ecclesia ceremonijs parum absint, sed hæc ipsa miris modis indies mutantur. In matrimonijs etiã easdem sacra ceremonias observant. Iidem fe-

via quinta & sexta ab usu carniū abstinent, ut & toto tempore Quadragesimali. Cœmeteria in quibus defunctorum corpora quiescunt, non minus quam Catholici sacra & inuiolata habent. Funera cum cantu efficiuntur: quem in finem pueri quidam aluntur, qui sanis præcedentes, vernacula lingua Psalmos aut alias cantilenas tam per plateas quam in templo decantant. Multi inter ipsos Purgatorium esse credere videntur quoniam pro defunctis orant. Nam & ipse Lutherus quodam loco dicit, *suissis esse & ad salutem certius pro animabus qua in Purgatorio sunt, preces ad Deum fundere; & misericordia opera erga proximum exercere, quam Indulgentiis fidere.* Quin idem Lipsiæ cum Ecccio disputans, quod Purgatorium sit, pro certo credere se affirmans. Eandem ille sententiam pluribus alijs libris reperit, ac præcipue in Fidei Confessione, biennio ante mortem ipsius edita, in qua vult, ut pro defunctorum quiete preces fiant. Alter Lutheranorum Apollolus Melanchthon idem sentit ac docet. In p̄cipua Apologia Augustanæ Confessionis, vbi ait, *Non ignorare se apud priores Ecclesie doctores existere, passim orationis pro defunctis mentionem, neque illum à se prohiberi.*

III. Ecclesiastici quidam qui in ciuitatibus degunt Imperialibus alicubi reditus suos etiamnam percipiunt, ut & religiosi quidam Conuentus. In ijs vero Monasterijs quæ in Lutheranorum Principum, Comitum ac Dominorum sunt ditione, eiectis religiosi, loco Monachorum, pueri iam educantur, & literas docentur. In quibusdam ciuitatibus, vbi Lutherani prævalent, iidem partem aliquam templi occupant, mediam nempe, in eaque conciones & alia religionis suæ exercitia frequentant; chorum vero religiosi permittunt. Argentorati Lutherani primarium templum sibi vindicant, & religiosos omnes Ordines expulerunt, excepto eo qui Ioannitarum dicitur, & quatuor aut quinque religiosorum Conuentibus. Quam tamen nuper eobello quod inter Ducem Lotharingiæ & Marchionem Brandeburgicum ac Senatum Argentineensem, de Episcopatu inter se contententes, gestum fuit, Argentineses Cathusiosum ad eas quæ extra ciuitatis mœnia fuerant, sibi nimis aboleuissent, facta pace, a Camera Imperiali contra ciuitatem latam decretum est, ut ad eas illas suis expensis reedificaret, ita ut antea fuerant. Vlmenses itidem primarium vr̄bis suæ templum tenent, religiosos

tamen adhuc ferunt. In ciuitatibus Lutherani in monasterijs & alijs locis passim fornicem aliquam ad religionis suæ exercitium sibi quaerunt.

XIV. Sed & antiquam illam Ecclesie consuetudinem Lutherani in Germania retinere voluerunt, ut nimirum personæ Ecclesiasticæ à laicis habita seu vestitu discernantur, verumtamen alio fere, quam Catholici, nempe Senatoria toga aut Tobardo quemadmodum passim videre est. Ecce quomodo speciem aliquam Ecclesie Lutherani quodammodo habeant. at si de vera Ecclesia quaestio sit, nec illi profecto nec quisquam alius eam extra Catholicam Apostolicam Romanam reperiet. Hinc non sine causa Lutheranis si quando in Galliam veniant, satis mirari non possunt nouam illam quæ inanis Reformatæ titulo gloriatur, religionem sic omnibus ceremonijs & externis pietatis ac deuotionis signis nudatam esse ac plane quasi informem. Iidem habitum Calvinisticorum ministrorum nihil à plebeio differentem rideant. Quod vero in horrejs passim & profanis locis & conciones habentur, & Cœna Domini sine vlla reuerentia & respectu ab iisdem celebratur, id permittum ipsis videtur. Antea omnia tamen Caluistarum de præsentia & participatione corporis Iesu Christi in sacrosancta Synaxi incredulitatem, tum eorumdem impia de Christi natiuitate, morte, descensu ad inferos; de Spiritu sancto, de Trinitate, de Prædestinatione, Prouidentia, & Omnipotentia Dei, de Sacramentis, de libris Bibliis, de fide iustificante, de libero Arbitrio, de baptismo, alijsque articulis, in quibus salutis nostræ cardo vertitur, doctrinæ quæ apud illos viget, plane contraria dogmata derelictantur. Hinc magni nominis inter Lutheranos Theologus(r) quodam loco exclamare non dubitat: *Et, ô Deum immortalium! qua concordia inter nos & Caluistas esse possit? qui Deum accusant mendacem, qui omnipotens iam, quantum in se est, ipsi detrahunt, qui Euangelium corrumpunt.* Dicimus cum Luthero: *Maledicta sit illa concordia qua Verbo Dei periculum adfert.* Et Schlussemburgius aperte testatur, non fore ut contentio illa inter Lutheranos & Caluistas unquam finiat, priusquam supremus Mundi dies illucescat. Idem in Præfatione scripti sui Apologetici pro libro Concordiæ, protestatur se intra virginis tres annos ducentos à Caluistarum

I 2

offi-

x Vid. Stur. de concordia ratione incenda.

officina progressos libros euoluisse, sed vere & sancte affirmare posse, nihil in ijs firmi ac solidi, & in quo Christianam animam acquiescere possit; sed econtra mille blasphemias, conuicia, mendacia, falsæ & scurriliter dicta, collationem denique errorum & contradictionum reperisse. Ex quibus facile intelligi possit, Calvinistas non eodem duci spiritu. Sed de hac discordia eiusque effectibus latius infra. Constitutum enim mihi est, in quadam huius operis parte duas has religiones inter se componere ac comparare, quo intelligatur Calvinisticam ab illa ipsa damnatam ad quam originem suam refert.

IN HOC CAPITE AUCTOR INCIPIENTEM HÆRESEOS RUINAM DEMONSTRAT. Deinde de statu Imperij in Germania aliqua dicit.

## CAPUT XIII.

## ARGUMENTUM.

- I. Perperam Germaniam totam Lutheranam censeri.
- II. Ex ea reliqua hæreses & secta proscripse, excepta Augustana Confessione.
- III. Impostura Calvinistarum Germaniam à suis partibus stare affirmantium.
- IV. Reipublica & Statuum in Germania diuisio.
- V. Mos seu lex, de subditis in religione continendis.

I. **E**T hæcenus quidem originem hæreseos, eiusdemque apud septentrionales populos progressum enarrauimus: sequitur ut exponamus, quemadmodum eadem decrementum accipere cœperit. Ex cuius rei particulari descriptione, diuersarumque Prouinciarum, apud quas diuersarum Religionum Professio viget, enumeratione manifestum fiet, adhuc eam partem, quæ Catholicam fidem retinuit, fortiore esse, reliquasque quando liberit, posse sub iugum denuo mittere. Nam quidquid ab Ecclesia Romana secessionem fecit, eo ipso ab unitate corporis sub vno capite Christi in terris Vicario, recedens, necessario in varias partes dissectum, quasi humi repit, nihil aliud quotidie expectans, nisi talem saram tristemque suam ruinam & extremum interi-

tum dicente Domino: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Nec minus iniuste Galli Germaniam Lutheranam appellant, quam Galliam Calvinisticam Germani. Sed omnia hoc loco Gallia, propositum est mihi ab iniuria vindicare Germaniam: bellicosissimam profecto nationem, quæ pro Ecclesiæ incolumitate tot cruenta prælia iniuit, tot gloriosas victorias reportauit: quæque non modo armorum, sed & litterarum laude ceteras omnes Nationes prouocare non erubescat. Apparebit, quo pacto initio decimi septimi sæculi, ad quod post tot naufragia appulimus, in ijs locis, vbi eradica fuerat Religio Catholica, eadem regerminet atque reflorescat, non secus ac nouella arbor, quamuis ferro subinde accidatur, nouos tamen ramos producit. Videbimus, ea, quæ iam perijisse arbitrabamur, adhuc magna ex parte agnoscere summum Pontificem, Dei in terris Vicarium, adhuc patrum suorum Religionem sequi, adhuc Ecclesiæ Romanæ antiquis legibus regi, & non solum Hussij & Munceri veteres reliquias paulatim profligare, sed eum ijs etiam, qui Lutheri, Zuinglij & Caluini ductum sequuntur, certamen impigre suscipere.

II. Nam quod attinet ad ceteros hæreticos, qui ducta à Lutheranis origine, non aliter ac vipera quædam matres suas, à quibus conceptæ, in lucem editæ, quarumque adeo lacte nutritæ fuerant, tentauerunt suffocare; illis nullus iam in Germania, neque in Ciuitatibus Imperij, neque in ijs ditionibus, quæ Principum aliorum & particularium Dominorum imperio subsunt, locus per Imperij Constitutiones datur, vnde nec patere debet. Loquor autem de Anabaptistis, Antitrinitarijs & alijs id genus sectis. Hi enim in latissimis hisce prouincijs nusquam habent iure vbi tuto consistant, sed omnis generis persecutionibus sunt obnoxij. Quo fit, ut hæc sectæ cogantur, sese aliquò recipere in Poloniam aut Morauiam, aut Silesiam, item in Zelandiam & Baraniam, vbi eos Calvinistæ receperunt, & omni favore complexi sunt. Quod si etiam ab Austria Principibus alicubi tolerantur, non aliter id fit, quam quomodo etiam Iudæos patiuntur in ditionibus suis habitare, grauisissima enim tributa coguntur pendere, & de cetero viuunt tanquam mancipia: quoniam etiam politicis constitutionibus pœnæ ipsis per Magistratum inferendæ à Principibus decernuntur.

III. Restant ergo ibi Lutherani tantum, qui diuisi